DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE

INDUCIIS MEDICIS,

Von
Nützlichem An- oder Stillſtand der Artzeneyen;

Quam
AUSPICE DEO PROPITIO,
Et Conſenſu atque Auctoritate Gratioſæ Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI
SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES-
SORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.
DECANO SUO SPECTATISSIMO,

Domino Patrono ac Promotore ſuo, omni honoris cultu proſequendo,
PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,
HORIS LOCOQVE CONSVETIS,
ANNO MDCCXXXVI. D. JANUAR.
PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET
RESPONDENS

JOHANNES MICHAEL MÜLLER,
SUIDNITIO-SILESIUS.

HALAE MAGDEBURGICAE,
Typis JOH. CHRISTIANI HENDELII, Acad. Typogr.

PROOEMIUM.

NErvoſe, ſcite, perite & diſſerte DIETERICUS in *Jatr. Hipp.p.538.539.* eloquitur: *medici boni cura eſt, curationem curate facere & tractare morbum, prout meretur, nunc manſuete, nunc rigide: anxius in omnem occaſionem agendi, modo cum malagmate, modo cum ferro: nunc* ταχέως *procedit, nunc* βραδέως: *nihil agit confuſe, nihil diffuſe: unumquemque morbum in ordinem cogit, modo* εὐκόλως, *modo* δυσκόλως: *vario morbo, longo & lubrico: interdum indulget, ut blandus Pater, interdum iraſcitur & vi aggreditur:* Quanta itaque vigilantia, prudentia & dexteritate medici munere ſuo fungi debent, ut hoſtibus ſanitatis & vitæ heroice reſiſtant, omnesque inſidias, minas, cuniculos & invaſiones pernicioſas debellent & depellant, nimia tamen nihilo minus occupatione & officioſitate plus officere, quam proficere ſolent: ideo

prudentis artificis opus eſt temporis opportunitatem, quando dimicandum, quando conſultandum, quando acquieſcendum & quando de pace ineunda tractandum ſit, curatius obſervare; eleganter itaque BOHNIUS *de Offic. med. dupl. Part. I. cap. XI. p. 249.* ait: *non minus elucet prudentia Medici ac Ducis bellici, eo temporis cum vident hoſtis vires ex ſe diſſolutum iri, ut ſe in caſtris contineant & naturæ motus ſpectent, quam dubia pugna hunc & illum morbum aggrediantur: maneatque regula illi, qui ſalutem ægrotantis cupit, ut, ſi ſine medicamentis eum æque commode ac cum iis, reſtitui poſſe deprehendet, ab his potius abſtineat, præſertim illis, quæ evidentius movent atque alterant:* Non minus itaque in foro Medico ac Politico valet, quod *Eccleſiaſtes* profitetur c. III. 9. *eſt belli tempus, eſt & pacis;* hinc prudenter negotiari & circumſpecte otiari decet, quin imo peritus Medicus cum Hannibale bellum & pacem gerit, qui interdum officia ſua ſtrenue & generoſe, aliquando lenius & remiſſius exercet, nonnunquam committendo, quandoque omittendo officioſus eſt, cum nec ægri, nec ægritudines, nec cauſæ, nec tempora, nec loca ſemper intrepide & heroice militiam in caſtris Medicinæ proſequi, ſed aliquando continentiæ & quieti indulgere permittant ſuadeantque: quo pertinet effatum GREGORII *in Moral.* quod *adverſariorum pugna aliquando appetenda, & prudenter etiam aliquando declinanda ſit:* haud enim in Praxi medica infrequentes ſunt caſus, ubi nihil agendo, aut abſtinendo, aut ſpectando & expectando, aut conſultando, plus utilitatis acquirimus, quam nimis ſollicita & inquieta officio-

ſita-

ſitate; tanto magis vero CORDAEUS tumultuantes oſtentatores medicos reprehendit & in *præf. in Hiſtoriam morb. mulier. Lit. E. 5.* invehit, *turpe in omni arte*, inquit, *& in medicina præſertim, ſtrepitum quenquam & tumultum facere & oſtentationem multam & orationem ſesquipedalem, montes denique aureos polliceri, ut inde* ſi non aſinus, vacca aut capra, tamen *mus enaſcatur ridiculus:* Proinde character judicioſi medici eſt, interdum abſtinentia magnos curare morbos aut auxilia pharmacevtica aliquandiu ſeponere & intermittere, ne magis illorum continuus uſus damnum, quam commodum inferat, qui modus dirigendi artem medicam pacificum bellum vocari poteſt, ſive ut ARISTOTELES *Ethic. Lib. X. c. 7.* elocutus eſt, *bella gerimus ob eam cauſam, ut in pace vivamus, & negotia ſuſcipimus, ut in otio ſimus:* quare hac methodo Medici otiando negotiari poſſunt: In hac lucta nec multitudini remediorum, nec curioſitati, ſed præter divinam benedictionem, quia *Jovæ eſt victoria Prov. XX. 31. neque etiam in militum multitudine ſita eſt belli victoria, ſed tantum ex cælo virtus eſt 1 Maccab. III, 19.* judicioſo & conſcientioſo uſui artis adſcribenda erit victoria. Vanum itaque atque fruſtraneum erit in ineffabili ſupellectile & uberrimo apparatu medicamentorum gloriam quærere, quoniam plurima illorum, nec arti neceſſaria & congrua ſunt, nec reliqua ſemper in profligandis inimicis cauſis locum inveniunt, cum tutius aliquando, conſultius & fructuoſius fuerit, interdum hoſtes morbificos ſine armis medicamentoſis, ſpecioſis, curioſis, pretioſis & ingenioſis, ſed

vilioribus velut amphoris Gideonis, i.e. ſimpliciſſimis adminiculis cum ſuis cauſarum copiis & turmis disjicere: & hoc interdum ſtrategema belli medici eſt, quando medicus clanculum naturæ tantum viribus officia ſua ſalutifera exequitur, cui ſane in tali prælio plurimum tribuendum eſt, ideo WEDELIUS *Cent. I. decad. V. exercit. philol. med. 10. p. 5.* teſtatur: *Si rem æqua libremus lance, palma naturæ, obſequii gloria arti relicta eſt, cum nihil invita præſtare poſſit minerva.* Glorioſi itaque & jactabundi militis medici character eſt, ſi ſua tantum conſilia, dicta, facta, ſcripta, remedia, chartulas, vitra, ſcatulas, pyxides & thecculas pharmacevticas, aut pharmacopolia portatilia declamat, magnisque elogiis, nundinatorum inſtar, ebuccinat, per maſculinum & fæmininum genus venalia circumfert, ideoque talibus modo armis contra morbos pugnare enixe nititur, hinc recte monet RIEDLINUS *Lin. Med. An. 3. Nov. obſ. 24. p. 805. ut ut vero non deſint medici parum docti, qui firmiter crederent, non tam ſponte, quam medicamentis malum ceſſiſſe, alii etiam ſolum ut aliis præferantur, talem occaſionem gloriandi ambabus arriperent, ingenuum tamen medicum decet, ut quod res eſt, edicat:* Non nimium itaque in hac lucta arti, nec minimum naturæ tribuere convenit, quamvis aliquando ſuis armis hæc dimicet, nec artificioſis medicamentis indigeat, medicamenta autem nunquam per ſe ſimpliciter & abſolute ſalutiferum quid efficiant: ideo STOBAEUS *ſerm. 58.* exclamat: *neque natura ſine arte ſemper ſufficit, nec ars per ſe ſine præſidio naturæ quicquam efficit:* Quantum in certamine medico valeat

prudens

prudens expectatio & obſervatio, nec continua, aut indeſinens aggreſſio, ſtrenua medicamentorum circumvallatio, peritos medicos haud latet, eapropter multum juvat nonnunquam a continuante remediorum uſu deſiſtere, & auſpicium, quod non otioſum, ſed exquiſite negotioſum eſt, naturæ relinquere, quæ non raro artis defectus ſingulari modo compenſat: nec etiam verboſa, ſed in prudenti obſervatione fundata eſt confeſſio & aſſertio REJESII *Camp. Elyſ. juc. qv. 92. n. 10. jure dicebat Hippocr. lib. de Leg. & de decenti ornatu naturam quandoque mirabilia operari; Siquidem arcano operandi modo incredibilia ſæpius exequitur, dum in noſtram utilitatem, quod optimum eſt intendit, evigilat & nil non artificioſe molitur, & ex his quæ fieri poſſunt, ſemper meliora quærit, ut Lib. de cælo & Lib. 8. phyſicor. text. 15. ſcribit Ariſtoteles: quare idem Hipp. 6. Epid. Sect. 5. optime ipſam appellat ſine doctore magiſtram:* Hæc itaque ducem ſe gerit ſæpe prudentem & virtuoſum, cui ſoli pacis reſtitutio i.e. hoſtilium morbificarum cauſarum remotio non raro relinquenda, quæ arte & uſu ſive exercitio ad victoriam imperrandam ſatis præſtans eſt, juxta illud VEGETII *de re militari Lib. 2. c. 23. in omni prælio non tam multitudo & virtus indocta, quam ars & exercitium ſolent præſtare victoriam.* Quoniam itaque noſtris præſentibus temporibus, multum de quieſcentibus armis inter partes dimicantes, ſcribitur, legitur, judicatur, præſumitur, ſperatur, dubitatur &c. ita opportunitati temporis reſpondere nobis videtur, ſi præſenti Inaugurali Specimine de ARMISTITIO MEDICO obſervationes & applicationes

practi-

practicas, huic meditationi congruas, propoſuerimus. Cui inſtituto, ut divina benedictio annuat, devotis precibus contendimus.

§. I.

QUemadmodum juxta MACROBIUM *Saturnal. Lib. 2. nihil magis belli duci convenit, quam pro omnibus cogitare*, ita in delineanda hac *remora* belli medici, ſive *pugnæ contra morbos*, noſtri officii eſſe judicamus, quo de perſpicuitate tituli & thematis præſentis cogitemus. *Induciarum Medicarum* nomine nobis venit *abſtinentia, aut ceſſatio temporaria ab uſu armorum medicorum i. e. medicamentorum, hoſtili i. e. pernicioſæ cauſæ morbificæ, quadantenus enervatæ & ſubjugatæ antea opponi ſolitorum, ad placidam, pacificam & magis naturalem turbatæ ſanitatis & amiſſæ tranquillitatis in œconomia vitali reſtitutionem, deſtinata:* Sunt itaque alias induciæ conventio, per quam bello manente ad tempus bellicis actibus abſtinetur: ideo ISIDORUS *Lib. 18. cap. 1.* & MARTIANUS dicunt: Induciæ, *quaſi in dies otia:* DONATUS vocat *pacem in paucos dies: Aldus* MANUTIUS *in orthographia* ſcribit: *induciæ, quaſi inductiæ, ab inducendo, quia ceſſatio ab armis inducitur:* aſt hæc derivatio non ſatis libera & *genuina* eſt: alii autumant, *induciæ* dicuntur, ab *inde* i. e. certo tempore, & *otio ;* quaſi intra certum terminum temporis *arma* quieſcant, aut *otientur ;* HOFMANNUS *in Lexico* judicat: *Induciæ, ſunt in bello otium, non pax, ideoque accurate loquuntur hiſtorici, qui narrant ſæpe pacem negatam, inducias datas Livius Lib. X. c. 22.* SERVIUS *in Virgilium* nominat

minat *pacem temporalem: Varro pacem caſtrorum per paucos dies:* addimus *Martini* in *Lexico* annotationes: *Vulcan. legit: indutiæ pax, bello manente: nam. ibid. indubias belli intervallum, i.e. pax, bello manente: & vero tum etiam res in dubio ſunt:* porro: *Sed placet ſimpliciter ab IN & OTIUM, d. interpoſito: ut in voce indoles:* alii appellant *ceſſationem pugnæ & armorum:* non ineleganter *Onoſander cap. 37. Strategici* dicit: *inducias imperator ſi fecerit, tranquille & placide cum hoſtibus velut in pace degat, provide tamen & caute ſubitis caſibus, velut in bello proſpiciat: Ceterum ipſi ſit pietatem colere & injuriam hoſtibus interea temporis nullam inferre, mores tamen illi hoſtiles, mentemque infidam ineſſe, ſemper ſuſpicetur.* CALEPINUS dicit: *induciæ, quod in dies otium præbeant;* Synonymicæ voces ſunt *Armiſtitium*, quæ non adeo *pura*, ſed *ficta* ad formam *Solſtitii* & *interſtitii* eſſe perhibetur, juxta CELLARIUM *in Antibarb. pag. 8.* vocantur etiam induciæ, *Feriæ belli temporariæ, Pactio, Pax Caſtrenſis*, ein Stillſtand der Waffen, *vid.* GELLIUS *N. A. L. 1. c. 25.* inter *Medicos* LENTILIUS *Eteodr. med. pract. p. 1158.* appellat *Pharmaciſtitium* i.e. temporariam omiſſionem pharmacorum: Nominavimus *Medicas* Inducias, quoniam hac methodo *moratoria vitæ* & *ſanitati* proſpicitur, dum *remedia naturalia* antea certo ordine & ad certum ſcopum deſtinata, & adhibita, aliquandiu removentur, nec cum illorum uſu alteratio medica, cauſæ *morbificæ* oppoſita, continuatur, inſuper autem *naturæ* vires in tantum ſublevantur, ne *nimio* medicamentorum uſu illa *torpeſcat*, ſed ſponte in œconomia vitæ naturalis *ſuis motibus* & viribus ſubvenire non deſiſtat, nec deſueſcat: ideo temporaria ceſſatio ab illo u-

ſu remediorum *regulis* & *Methodo* medendi *medicis* apprime reſpondet, *Subjectum* & *Objectum* corpus videlicet humanum, *vita* & *ſanitas* ad *medicum* forum exquiſite ſpectat: *Medium*, circa quod hæ induciæ verſantur, ſunt *arma medica*, nimirum *medicamenta*, quorum continuatio non frivole, audacter, aut negligenter, ſed cum ratione & *judicio* intermittitur; & tandem *ſcopus* genuina ſua indole *medicus* eſt, quia concernit præſentis *morbi* abolitionem, hactenus geſti belli, ſive pugnæ curatoriæ contra *morbificam cauſam*, finem & clauſulam & violatæ, aut amiſſæ pacificæ *ſanitatis* reſtitutionem: & hoc pharmaciſtitium non empiricorum, aut medicaſtrorum more erigi & inſtitui debet, ſed qui tales inducias paciſci cogitat, probe gnarus eſſe debet *virium Naturæ* & *artis*, nec non *nexus*, *commercii* & *ſynergiæ utriusqne*, ut & circumſtantiarum & qualitatum, quæ moratorium tale indultum concedunt.

§. II.

Ne tamen videamur tantum *metaphorica* & impropria locutione aliquid imitari & æmulare, quod in foro *medico uſu* receptum *haud* eſt, in conſequentibus ſufficienter apparebit, hanc notatu dignam obſervationem *practicam* eſſe: nec tantum in bello civili tales dantur induciæ, ſed & de *ſummo* judice & vindice paſſim *ſacræ* teſtantur litteræ, quod Deus interdum ſub certis poenis & juſtis ſuis judiciis impiis, quando reſipiſcere inchoarunt, talem gratioſam moram conceſſerit, *conf. 2 Sam. 24. v. 16. Pſalm 106. v. 42. ſq.* multaque alia loca; *JCtis* familiare eſt in *Jure militari* & *civili* de induciis talibus agere: uti STRAUCH *de induciis bellicis*: *Octav.* VULPELLUS *de induciis*,

ciis, pace &c. BEJER. *de indictis juris induciis*, BESOLDUS *theſ. pract. contin. num. 79.* Anſtand *pag. 43.* & præſertim de *induciis quinquennalibus* von Anſtands-Brieffen, *vid.* BRUNNEMANN. *de induciis moratoriis*, FREUDENBERG. *de reſcriptis moratoriis*, ſ. *induciis quinquennalibus*, *Wolf. Ad.* LAUTERBACH. *diſp. de beneficio reſcripti moratorii:* BESOLDUS *theſ. practic. tit. Quinquenell. pag. 779. Continuat. loc. cit. & Lit. E. num. 36. pag. 176.* Nec *Philoſophi* etiam *Induciarum* conſiderationem ſilentio prætermittunt, ſiquidem *Conr. Sam.* SCHURZFLEISCH. *exercitationem de induciis* edidit: Ergo ne *Medicis* os obturatum eſſe debet, quo minus de induciis, quæ *ſuo* in foro obtingunt, diſſerant? Sub congrua interpretatione præſenti disquiſitioni reſpondet doctrina GALENI, quando in *Iſagogicis* ſuis libris, præc. *de optima Secta ad Thraſybulum cap. 38.* ab initio ita diſſerit: *cum dixerit Hippocrates inchoantibus ſi quid videtur movendum, move, in ſumma enim vehementia quietem agere præſtat, non a morbi tempore impulſus auxilia interdicit: noverat enim morborum initiis facultatem valentem eſſe, propterea que remediorum applicationi non obſtare, ſed in morborum vehementia jam flacceſcens remediorum agitationem non ſuſtinet: itaque non ratione temporis, ſed virium auxiliorum continuatam adhibitionem denegat:* Communis præterea antiquiſſimorum medicorum ex *Hippocratis* ſchola & obſervatione edoctorum, quod ſub *Criſi* morborum ſæpe *nulla* propinanda, ſed potius *omittenda* ſint medicamenta, quamvis *antea* in eodem morbo *talia* ſollicite uſurpata fuerint: in qua conſideratione utique ejusmodi *temporaria ceſſatio* ab uſu remediorum indicatur & pro rata, uti-

li & neceſſaria declaratur, dein quoad *latiorem* Criſeos ſignificatum, tales induciæ medicæ latius *ampliusve* ſe extendunt: unde MERCURIALIS *in Sect. I. aph. 20. p. 49.* ita commentatur; *apparentibus ſignis mox futuræ judicationis, medicus nihil debet moliri, quia tunc valde ſollicitata natura* (eheu! quam odioſa hæc ſibi ſapientibus & glorioſis ingeniis locutio ſit) *ab humoribus jam motis & ferocientibus, ſi ſimul a medicamento, (quantumvis levi) adhuc ſollicitetur, præterquam quod a pugna avocatur* (ideo eſt militare negotium) *quam habet cum morbo etiam debilior fit, ſicque haud pugnare ſtrenue & vincere poteſt - - haud ſecus imo multo magis abſtinendum eſt perfecta jam judicatione, ab omni purgatione, quia finito morbo dimittendum eſt, ut natura recreet ſe a labore, quem in ipſa pugna exantlavit:* addo DIETERICI effatum in *Jatr. Hipp. pag. 1327. natura agente per Criſin, plus agit medicus, ſi nihil coagit:* non pauci etiam medici, iique non vilioris farinæ, ſed graves, periti & judicioſi qui fuerunt & adhuc ſunt, ſerio interdicentes, ne in *ſtatu morbi* medicamenta obtrudantur, neve *naturæ ſpontaneum ſalutare* opus eo turbetur, quod verbum illi aut ægerrime perferunt, aut minime capiunt, qui omnium ingeniis pabone elaterem, fluidum aereo æthereum elaſticum, globulos ſanguineos, vermiculos, abſolutam vim motricem omnium fibrarum & membranarum, egregias machinas, æquilibria valde iniqua & inæqualia, plumis pavonum exornata &c. venalia circumvehunt iisque obtrudunt: quod in ſtatu a *remediis* quieſcendum ſit, teſtatur ALPINUS *in medicina methodica Lib. I. c. 12. p. 51. 52.* Propterea tamen *haud naturæ abſoluta* æquitas, aut *infallibilitas* tribuitur, inſuperque induciarum

com-

commendatio & applicatio non indiſcriminatim probatur, memores, quod interdum ipſa natura in diverſis morbis, *minus ſalutiferas* paciſcatur inducias, ſicut talem caſum (ſub titulo F*ebrium malignarum induciæ ſuſpectæ)* recenſet RIEDLINUS *Lin. Med. An. 1. Januar. obſ. 4. pag. 11.* ob id pharmaciſtitium Medicum *prudentem* requirit artificem.

§. III.

Reminiſcimur porro in hac meditatione moniti illius HIPPOCRATICI *Epid. L. VI. Sect. 2. text. 26.* quando *remediis adhibitis interquieſcere,* i. e. inducias agere, jubet; ubi non modo id obſervandum eſt, quod non raro *ſibi ſoli* ſufficiat natura, ut adeo BOHNIUS (vir quondam experimentorum phyſicorum, anatomicorum & chymicorum haud ignarus) *de Offic. Med. Dupl. Part. I. cap. 9. pag. 134.* ediſſerat: *errat*, inquit, *advertente* SYDENHAMIO *obſ. de morb. acut. S. V. c. 2. graviter, qui naturam artis adminiculo ubique indigere exiſtimat, cum etiam ſine opera artificis, qui miniſter ejus, non raro agat,* &c. ſed & quod *aliquando* in morborum directione ſive *penitus* ab uſu remediorum *abſtinere*, ſive juxta HIPPOCRATIS monitum interdum *poſt* illorum uſum *quieſcere*, adeoque inducias exercere, *conſultius* ſit: juxta illud *Epiphanii* FERDINANDI *hiſtor. X.* & WELSCHII *Cent. I. conſ. 19. p. 36. b.* quod *interdum optimum ſit medicamentum, a medicamentis abſtinere:* ideo adæquate etiam indicat docetque BOHNIUS *l. c. in opere medico conducit juxta Epiph.* F*erdin. ut quandoque a remediis abſtineamus - - - hocque non tantum ubi morbus non ſatis dignoſcitur, ſed ubi motus medelam adæquatam haud admittit, vel hac ſuperior eſt:* inſuper ille monet, *non abſo-*

abſonum erit, negotium curationis aliquando naturæ omnimode committere, ut ſpectatorem tantum medicus agat: Referri huc meretur ampliatio & commentatio in locum modo *cit.* HIPPOCR. *Petri Franc.* PHRYGII, quando docet: *male illi ægris conſulunt, & potius illos torquent, qui ſine intervallo remediis eos cruciant & cogunt: neceſſitatis ratio poſtulat, interdum ſub cura a cura i. e. medicamentorum uſu deſiſtere, & naturæ opera futura provide expectare:* addimus VALLESII judicium *Lib. 6. Epidem. Sect. 2. com. 26. qui periculoſius cenſet, incidere in medicum, qui quieſcere neſciat, quam qui neſciat contraria adhibere: nam qui neſciat quieſcere, eum quoque neſcire adhibendi remedia, quare etiam hæc adhibere; qui vero neſciat contraria adhibere, ſcit tamen prudenter quieſcere, hunc, ſi prodeſſe non poſſit, non tamen abeſſe:* annectimus hiſce teſtimoniis, quæ *inducias* medicas nominant, obſervant, commendant & approbant LENTILII ſuffragium in *Eteodr. med. pract. p. 1047. Cum morbis,* ait, *ſi pacem non concedant, induciæ nonnunquam pangendæ, ne pharmacis natura nimium adſueſcat, quorum hinc vis obtunditur, ne dicam ventriculum per continuas medicationes, pati. Locum autem ſibi vendicat iſta regula in his tantum morbis, qui patiuntur inducias. Interdum enim morbi vim habent incendii, nec Harvejana expectatione curari volunt:* quod autem ſub continuo uſu remediorum natura hiſce *adſueſcat*, teſtatur ZAC. LUSIT. *Med. Princ. Hiſt. Lib. I. hiſt. 3. p. 5. a. edit. in fol. Caſp.* REJES. *Camp. Elyſ. juc. qv. 93. n. 6. Proſp.* ALPINUS *de Medicina Ægyptiorum Lib. 4. c. 1. p. 255.* DIETERICUS *Jatr. Hipp. n. 238. p. 400.* qui dicit: *conſuetudo ex pharmaco poteſt facere cibum:* GALENUS *de ſanit. tuend. c. 5.* AVICEN-

NA

NA *fen. 4. c. 1.* VALLESIUS *controverſ. med. & philoſ. Lib. 8. p. 343. n. 15. ſq. cap. 51.* monendi itaque interdum ſunt ægri *pharmacophili* cum MERMANNO *Lib. II. conſ. 14. quieti ſtudeant tam animi, quam corporis, neque ita ſint de recuperanda valetudine ſolliciti, ut remediis ſe nimis onerari, ac pæne obrui velint:* Quemadmodum vero induciarum *terminus* diſcrepat, ita non æque in foro medico moratorium *quinquennale* valet, ſed pro circumſtantiarum varietate & neceſſitate, nunc *longius* nunc *brevius*, pro *judicio* medici, conceditur; dantur itaque etiam *dilationes* aut induciæ *annales*, juxta BESOLDUM *theſ. pract. tit. Quinquennell. pag. 779.* imo ſec. *Jodoc.* DAMHOUDERUM *Prax. rer. crimin. cap. 31. num. 4. induciæ ſive dilationes triduanæ.* Sicut contra in caſibus *forenſibus* in cauſa disſolvendi *matrimonii* ob *adverſam* valetudinem mora *triennalis* præſcribitur, *conf.* SIMON *Præſid. Acad. Part. I. diſp. 14. cap. 7. th. 3. num. 1. ſq.* qua *non* tam *abſtinentia* a medicamentis, quam ſedulus & *ſollicitus* illorum *uſus* admittitur & præcipitur, intra quem terminum temporis cauſa impotentiæ conjugalis abolienda erit. Cohærent itaque hæ induciæ medicæ cum *morbo, ægro, medico* & *medicamentis*, quorum diverſi reſpectus curatius annotari, conciliari & dijudicari debent, ſi in foro *medico* de induciis paciſcendis conſilium ineundum eſt: quare ejusmodi abſtinentia, aut curatio *privativa* in aliquibus affectibus utilis, in aliis vero minus talis exiſtit.

§. IV.

Inveniunt itaque *Induciæ* in *Medica* arte locum non modo ſecundum præmiſſa teſtimonia, ſed & quod vulgo *Medicina* alicui *pugnæ*, bello, certamini contra *hoſtilem*, *mor-*

morbificam, opprimentem & devaſtantem cauſam, militanti aſſimilatur: hinc a variis medicis *morbus lucta* & *pugna* vocatur, aut quod *in*, *ſub* & *cum morbo natura* pugnet & dimicet: ſatis cognita eſt SYDENHAMII definitio *morbi;* quod ſit *naturæ conamen materiæ morbificæ exterminationem in ægri ſalutem omni ope molientis:* ideo nonmodo vulgo natura dicitur *medicatrix morborum*, ſed & juxta LANGIUM *Miſcell. curioſ. 34. p. 87. ſq. p. 96. ſ. 58. effectrix* morborum vocatur: audiendus erit VALLESIUS *in controverſiis medicis & philoſophicis Lib. 8. c. 10. p. 361. n. 22. medico nunquam licet excitare affectum, contra quem ſtatim decertatura natura eſt, alioqui ipſe medicus adverſus naturam videtur pugnare: vere itaque dictum eſt, Morbum morbo ſæpe curari:* Talem conatum artis medicæ belligerum, in quo propterea induciæ aliquando locum inveniunt, teſtatur *Joh.* MANELPHUS *in reſponſ. ad Martianum p. 40. 41.* inquiens *medicus tanquam dux alter, cum natura prior ſit, mediantibus medicamentis, velut armatura & exercitu ſuo, contra potentiam & violentiam morbi & mortis pugnat:* Similem Medici & Ducis bellici convenientiam affert DIETERICUS in *Jatr. Hipp. p. 530. nec quicquam gloriæ medico detrahitur, ſi fine ſuo fruſtretur, uti non poteſt detrahi duci aut Imperatori exercitus &c.* omni enim *conſilio* & *judicio* peritus nititur *medicus*, ne *inimica* & mortifera cauſa *provinciam* vitæ & ſanitatis *ſubvertat* & deſtruat, ideo præc. ope *auxiliatricis naturæ*, dein etiam *remediis* illam cauſam profligare contendit: ob eandem etiam rationem medicamenta in foro medico ſunt inſtrumenta *bellica*, aut ut DIOCLES *in epiſtola prophylactica ad Antigonum Regem in fine libri primi Æginetæ* ait,

arma

arma medicorum, quibuscum militiam ſuam gerit, ſiquidem Medicis non inuſitatum eſt collectanea auxiliorum & mediorum *pharmaceuticorum*, *chymicorum* & *chirurgicorum* nominare *armamentaria*, Zeughauß, Rüſt-Kammer, vid. BORELLI *armamentarium ſimplicium*, *Mineralium*, *Plantarum*, *Animalium:* MYNSICHTI *armamentarium medico-chymicum*, SCULTETI *armamentarium Chirurgicum:* VIGIERII *theſaurus & armamentarium chirurgicum &c.* quibus inſtrumentis, variæ qualitatis, medicus peritus ad varios uſus & effectus nunc *uti*, nunc ab illorum uſu *deſiſtere*, adeoque *naturæ viribus* atque officiis expeditionem ſuam bellicam proſequi & exequi poterit: Quæ ſingula ſuffragia ſufficere poterunt, ad præparationem conciliandam, qua nunc *induciarum medicarum regulas* atque *qualitates ſpeciali* deductione ſignificemus, ſicut induciarum bellicarum, quid per illas liceat utrinque, aut non liceat *H.* GROTIUS *de J. B. & P. Lib. 3. c. 21.* leges & qualitates tradidit: *haud* enim in hac pactione *præcipitanter* agere decet, ne *præmature* medica caſtra deſeramus, ſed hujus omiſſionis & *abſtinentiæ* ſufficientem, *judicioſam* & bene fundatam poſſideamus rationem, ne videamur *negligentius* hoc tractaſſe, man habe den Patienten verſäumet, nachläßig und leichtſinnig tractiret, man habe ſich zu viel auf die Natur-Kräffte verlaſſen, neve aliquid in magnum præjudicium naturæ omiſiſſe accuſemur, inde querelæ man habe ſehr gefehlt, oder vorſetzlich den Krancken verwahrloßet, quaſi ab aliis corruptus fuerit medicus, quo minus in hoc arduo prælio naturæ ſubveniat: *plus* enim culpæ, contumeliæ & diffidentiæ ſibi medicus *omittendo*, quam *committendo* comparare poteſt, eaque propter ad indu-

cias tales erigendas ſcito, *perito* & judicioſo medico o-
pus eſt.

§. V.

Propius nunc accedentes ad *ſpecialiores* harum *Induciarum qualitates* medicas deſcribendas, neceſſe eſſe judicamus, ut *Subjectorum* rationes, *Morborum* conditiones, & ipſius uſus aut *ordinationis* methodum, *modum* & directionem ſignificemus, inſuper *utilitatem*, quæ de ejusmodi induciis expectanda eſt, indicemus & cognitam reddamus, ne nobis tantum perſuadeamus, quod medica ars ſemper *poſitivis auxiliis* exerceatur, cum non raro *conſilia* plus, quam illa valeant, *conf. B.* STAHLII *diſp. de Conſilio Medico:* Quod itaque *Subjecta* attinet, quibus *ægrotantibus* remedia, *antea* in *eodem* morbo adhibita, aliquamdiu ſubtrahi & *intermitti*, ideoque pharmaciſtitium ordinari & adhiberi queat, tunc illa conſideranda ſunt quoad *ætatem*, *vires*, *temperamentum*, *proſapiam*, *vitæ genus*, *morbi durationem* atque *tolerantiam*, ut & tractationem *diæteticam* & *pharmaceuticam:* ideo ratione *Ætatis* nec valde *tenera*, nec admodum provecta, grandæva & *ſenecta* feſſa, ſed in illa annorum periodo conſtituta eſſe debent, qua *vigor naturalis* adhuc integer, *firmus* & illibatus eſt, qualis præc. conſummatæ *adoleſcentiæ*, totius *juventutis* & *virilitatis* terminus, exiſtit, ni aliis *accidentalibus* cauſis hæ ætates *enervatæ* & corruptæ fuerint; *illis* enim annorum periodis, ſecundum *naturalem communem* ordinem, homines *majori virium* robore ad *agendum* & *patiendum* pollent, ideo hiſce annorum tractibus nec *ordinariis*, nec *extraordinariis* negotiis *vires comparate* facile exhauriuntur, propterea que tam multo & durabili levamine minus indigent:

Virium

Virium reſpectum quod attinet, tunc omnino ad inducias tales concedendas *relativa* illarum præſentia & *præſtantia* requiritur; quæcunque itaque Subjecta præ aliis quoad *individualem* qualitatem *robuſta*, vegeta & in *labores* prona ſunt, illa *generatim parum* artificioſis adminiculis indigent, Sie verlaſſen ſich auf ihre ſtarcke, gute, veſte Natur, nec facile *medicamentorum* uſum requirunt, nec admittunt, quin potius *moleſte* & ægre perferunt, ideo etiam in *morbis* non modo *plus* perferre poſſunt, ſed internam *clandeſtinam*, ſtrenuam & vivacem *naturæ energiam* ſufficienter comprobant: *Temperamenti* qualitatem advertentes, huc *negative* & *ſanguineos*, quippe *delicatulos* atque *ſenſibiles* & *phlegmaticos*, utpote *torpidos*, ignavos & abjectos homines *minus*, *poſitive* viciſſim *cholericos* & *melancholicos* congruo gradu mixtos, *magis* quadrare, *ratio* æque ac *obſervatio* docet, quippe qui homines utpl. magis *robuſti*, laborioſi, in actionibus ſuſcipiendis faciles, continuandis *conſtantes*, *firmi*, duri, tenaces inſtituti, aliisque congruis qualitatibus præditi exiſtunt, qui præterea multum *perferre* & in rebus *arduis* perdurare poſſunt, nec *aliorum ope* & auxilio facile indigent atque nituntur: *Proſapiæ* tenorem conciliantes, attenta dictitat obſervatio, quam ſæpe fortes fortes, perſtrenui ſtrenuos, acres acres generent; ideo *non raro* facultates *animi* & *corporis hæreditariæ* ſunt, ſiquidem in hiſtoria naturali obſervantur ſtemmata *longæva* & *ſana*, aut in *ſuperandis* arduis, periculoſis & difficilibus caſibus robuſta & ſtrenua, Sie ſind von geſunden, ſtarcken Stamm und Stand, hinc in *morbis* ſimilis reperitur *firmitas*, ut tam enixe, anxie & ſollicite medicamentis uti, *nulla urgeat* neceſſitas, inde locutiones dieſes Geſchlecht

giebt den Medicis wenig zu verdienen: hoc privilegium *ſanitatis* aut *tolerantiæ* rerum arduarum, eſt communicativum, dieſe Menſchen können viel ausſtehen: *Vitæ genus* huc quadrat ab omni *mollitie*, nimia indulgentia, *delicata* & *ſenſibili* directione & adſuetudine alienum, ſed potius ad *extraordinarias* etiam qualitates ſubeundas & perferendas habile; rebus *arduis* & aſperis interdum dicatum, *loboriosſum*, per varias rerum viciſſitudines & diſcrimina tranſiens; *aëris* injurias facilius interdum admittens, in motu & quiete, ſomno & vigiliis &c. non ſemper ad amuſſim & decantatum illud *æquilibrium* inſtructum: *Morbi durationem* & *tolerantiam* quod attinet, tunc nec *ſubitaneis* morborum ſpeciebus obrui & *præcipitari*, nec valde *longinquis* & pertinacibus *enervari* & *emaciari* debent: ut & ad morbos ſubeundos non nimis timidi, anxii, ſolliciti, ſenſibiles, deſperantes, impatientes, immorigeri, moroſi, turbulenti, mutabiles, nec morborum valde *inſueti*, ſed *tractabilioris* mentis & *tranquillioris* indolis eſſe debent: Et ſecundum nominatas qualitates *Subjecta* dijudicanda veniunt, an ſecure *in* & *ſub* illorum *morbis* tale *armiſtitium medicum* non tam experiri, quam juxta *rationis* dictamen, & *peritæ* artis normam ſuſcipere conſultum ſit.

§. VI.

Alterum objectum præſentis tractationis reſpicit *Morbos*, in quibus *Inducias* medicas, aut *temporariam abſtinentiam* ab uſu medicamentorum ſuadere & adhibere convenit; in hac disquiſitione primo *negative*, dein *affirmative*, aut *privative* & *poſitive* verſari placet: Reſpuunt itaque tales *moratorias inducias* Morbi *ſubitanei*, ſub quibus

bus periculum *in mora* eſt, quibus propterea *cito*, ſtudioſe & *conſtanter* ſubvenire decet, quorum decurſus præceps, in quibus propterea, juxta obſervationem RIEDLINI *indefeſſa* cura remedia ordinanda, ſiquidem author illo loco dicit, videl. *An. 1. Julio obſ. 7. tit. medicamenta interdum ſæpe ſunt repetenda: Sicut medicus prudens ſemper in id intentus eſt, ut morbis quocunque modo obviam eat & eosdem feliciter curet, ita haud parum hac in parte eum juvabit, ſi in morbis gravioribus medicamenta convenientia ſæpius iteret, & nonnunquam ſingulis etiam horis exhibeat:* haud quidem huc *indiſcretim acuti* morbi referendi, in quibus non raro ægri adeo *firmi* ſunt, ut ad aliorum admirationem absque remediorum uſu perfecte convaluerint; quare periti, *judicioſi* & providi medici præcipiunt, ne in *talibus* ægrotantibus *ante ſeptimum* diem, aut purgans, aut ſudoriferum uſurpent, ideoque *ſpecialiſſimum* pharmaciſtitium obſervent: BAGLIVUS *Opp. Lib. I. de febrib. in genere ſ. 1.* ait edit. in 4to p. 48. *ante ſeptimum diem in acutis & inflammatoriis nec purgato, nec diaphoretica vehementia dato, ſiquidem cruda adh. eſt peccans materia & bonis ſuccis confuſa, nec auſcultat talibus remediis, niſi apparentibus ſignis coctionis;* & porro p. 49. *in acutis circa duo potiſſimum peccant medici, vel in nimia atque tumultuaria remediorum farragine, vel potius in intempeſtivo & amethodico eorundum uſu: unde tot incommoda in ægris & tam variæ atque inconſtantes morborum periodi & incredibiles ad invicem permutationes, quas quidem rudes medici naturæ morbi, non vero inconſtantibus ſuis ac ſpeculativis medendi methodis attribuunt:* quadrat huc, quod ſuo calculo probat CAMERARIUS *in Eclecticæ medicinæ & phy-*

ſicæ diſſert. XI. p. 151. inquiens: *pergit* BAGLIVUS: *in morbis acutis atque inflammatoriis paucis opus eſt remediis, ſatis enim fuerit vias obſervare diligenter, qua natura exitum tentat, curamque eo perducere naturæ obſecundando, alioquin ægrotum peſſumdabitis, mutationes enim inſignes morborum, ſeu in melius ſeu in pejus fiat, judicia nominantur, quibus videlicet jus dici ſolet de controverſiis naturæ adverſus morbos:* Quodſi itaque in affectibus *acutis benignis* aut *malignis vires debiliores, cauſæ* vero morbificæ *fortiores*, ipſe etiam proceſſus morbi *irregularis* fuerit, tunc inconſultum erit de induciis medicis cogitare & tractare: ſubinde *omnes* morbi in quibus *cauſa* pernicioſa gravior, plenior & *potentior, vis renitens* vero minor, *debilior* & imperfectior eſt, *non* admittunt hoc armiſtitium, ſub quo *facilius* ægrum ſupprimunt & vincunt: præterea morbi, quolibet motuum *exceſſu* ſtipati, ſive fuerint *prodigæ excretiones*, ſive *pertinaces excretoriorum adſtrictiones*, ſive *alii* exceſſus in *congeſtionibus*, *ſpasmis*, *convulſionibus*, *inflammationibus*, *febribus*, humorum affuſionibus & ſeceſſionibus &c. ad ejusmodi inducias perferendas inepti ſunt: eo pertinent omnes morbi *hæreditarii*, *habituales*, *recidivantes*, *corrupti*, *complicati*, *immorigeri*, *perverſis* medicationibus in *confuſum* ſtatum mutati, *anomali*, pertinacibus, impetuoſis, moroſis, turbulentis & continuis moribus & *animi affectibus* irritati, inquieta & contumaci *imaginatione* perturbati, *neglecti*, maxime *erroneo* vitæ genere & *ſingulariter* prava diæta provocati & exacerbati &c. qui ſinguli morbi, *quam diu* in *acerbiori* ſuo ſtatu comprehenſi ſunt, abſolute auxilia artificialia ſ. medicamina requirunt, & *tamdiu* inducias medicas non tolerant,

ni

ni in *pravis* ſuis qualitatibus magis increbeſcere faciliusque in *funeſtum* exitum devenire debeant.

§. VII.

In *poſitiva* annotatione & indicatione Morborum, qui tale *interſtitium* quoad uſum remediorum perferunt, primo loco nonnullæ *Febres* in *certis* individuis obviæ, ſignificandæ ſunt: occurrunt itaque in quibusdam ſubjectis *prædictarum* qualitatum Febres *continuæ*, quæ vel *nimium* ſanguinem, vel aliam *putrefacientem* tenuem materiam, per humorum maſſam præc. diſperſam, pro *cauſa* & objecto agnoſcunt; quoad *priorem* ſpeciem, aut ſub congruo regimine & moderamine *ſponte*, *urgens* copia ſanguinis *ſalutari* aliquando *Hæmorrhagia* removetur, aut ſub uſu *remediorum*, *humores* diluentium & modice reſolventium, *motum* febrilem temperantium, *vias* & organa lenientium, *ordinarias* excretiones promoventium, proceſſus illius febris eo pervenit, ut peritus Medicus ex ſignis ſinceris judicari poſſit, proximis horis aut diebus *ſpontaneam* talem ſperandam eſſe excretionem, quæ eandem morbificam cauſam *opportune* & *convenienter* excutiat & eliminet: in quo morbi ſtatu medicus judicioſus, præter ordinatum & obſervatum congruum *regimen*, *aliquandiu* ab ulteriori remediorum uſu deſiſtit, ac prudenter expectat, ut actu *emoveatur*, quod jam *ſponte* movetur, nec ullo *ſtimulo* indiget, præc. quando alia *obſtacula* & offendicula *deſunt*, qua evacuatione *peracta*, poſt convenientem moram temporis *talia* denuo ſubjungit auxilia, quæ *diluendo* porro ſanguinis maſſam, *demulcendo* vias atque organa, ordinando *conſuetas* naturales excretiones & *roborando* ægrum, nunc quodantenus *langueſcen-*

tem

tem ac arduo tali labore *fatigatum*, quadrant, proſpiciunt & inſerviunt: *alteram* ſpeciem quod reſpicit, tunc toti humorum maſſæ *noxia* quædam materia interdum intermixta, *febrili* motu ab illa ſeparatur & *abſtergitur*, ut *libere* eidem interfluens poſtea *facilius* in congruis colatoriis ſecerni & tandem per convenientia *excretoria* a corpore *plenarie* removeri queat: in hoc proceſſu non raro evenit, ut in ſubjectis firmis & *robuſtis primus ſeceſſionis* actus idoneis & ſecuris remediis *ſublevetur* & facilitetur, inde fidis indiciis manifeſtæ *coctionis* in urina, nec non activioris tranſitus humorum in *peripheriam* corporis apparet, præſentibus *viribus* in ægro, *motus* febrilis conſtanti & *moderato* ſucceſſu, aliarum *ordinariarum* excretionum placida continuatione, reſpirationis tranquilliori progreſſu, *cutis* temperata lenitate, *pulſu* nec robore, nec gradu, nec ordine fallente, *ſpontaneam*, liberam atque lenem appropinquare *excretionem*, quam nec continuis *alterantibus* turbare, nec *impellentibus* urgere, præcipitare, aut anticipare, ſed ſub *pharmaciſtitio* & placidi regiminis uſu patienter expectare & dirigere decet; ita in *multis* ſubjectis eveniet, ut ejusmodi febrilis proceſſus *magis adæquatum* decurſum ſervet, quam ſi ſollicito eoque *continuo* medicamentorum uſu nimis artificioſe tractatus fuerit. Quemadmodum autem talis proceſſus in *benignis* interdum febribus obſervatur, ita non deſunt ſimiles decurſus febrium *malignarum* in ſubjectis *duris* atque robuſtis, unde *varii* homines, qui præc. *caſtra* ſunt ſecuti ad ſui aliorumque *miraculum* recenſent, quomodo ex ardua *caſtrenſi epidemica* febre, vel *ſine ullo* medicamine, vel *inconſtanti* & *pauco* remediorum uſu, convaluerunt: Conſtant

nobis

nobis caſus, ubi ſub *primis tertianæ* febris paroxyſmis adhibita *alterantia* remedia talem præbuerunt efficaciam, ut proxime *ſponte* facilis *vomitus* & lenis *diarrhœa cauſam* febrilem exterminaverit, hæcque excretio per aliquot dies modice continuaverit, ut commode *omnia* in illis ſubjectis remedia omitti potuerint, ideoque totus ambitus febris cum *ſalutari* eventu terminatus fuerit, niſi poſt aliquam moram temperata *roborantia* adhibita, *plenariam* curæ clauſulam impoſuerint: Inde pateſcit, quod *variæ Febrium* ſpecies, hanc temporariam remediorum remotionem atque omiſſionem admittant, *præc.* quando in *nonnullis* ſubjectis motus & apparatus ad *excretionem* febrium *condigne* perficiendam ita apti & diſpoſiti deprehenduntur, ut juxta *veterum* medicorum monitum & præceptum *conſultius* ſit, *hoc tempore* medicamenta *omittere*, quam illorum uſu continuante, *vires*, *ordines* & ſpontaneas applicationes confundere, *turbare* & impedire.

§. VIII.

Præterea multi alii adhuc affectus occurrunt, quibus Induciæ Medicæ *ſalutares* ſunt; pertinent huc *congeſtiones chronicæ*, a contumaci tamen *habitu* adhuc *vacuæ*, quando in illis evacuantia, derivantia, revellentia, diſcutientia, temperantia, ſedantia, roborantia, tonica &c. *aliquandiu absque ſufficienti* effectu adhibita fuerant; unde haud fructuoſum eſt, vel eadem medicamina rigoroſe continuare & repetere, vel ad *alia* confugere, & ita crebriori *mutatione* affectum illum exacerbare: obſervatur quoad *hanc* qualitatem interdum *analogia* inter *mores* & *morbos*, quando *quædam* ingenia ſub *ſtrenuis* & operoſis correctionibus *tenacius renituntur* magisque confunduntur

 tur

tur & corrumpuntur, *ſibi* vero ſi relinquuntur, ut ad *ſui* reſipiſcentiam atque *reminiſcentiam* pervenire queant, facilius ad *meliorem* frugem redeunt: ita quædam individua medicamentorum uſum non æque *placide* & tranquille perferunt, quæ propterea nec *ſufficientem*, quamvis aliqualem, nec deſideratam utilitatem largiuntur, ut ideo *prudentes* medici, de tali *tranſitoria ceſſatione* ab illorum continuatione cogitare & paciſci debeant: *Spasmi* non raro ita ardui & *tenaces* ſunt, ut *nullum* remediorum uſum æſtiment, ad minimum *ſufficienter* illis haut obtemperent, ſed in tramite afflictionis ſuæ perſiſtant & licet medicamenta, aliquandiu adhibita, interdum *non ſine* omni fructu utilique effectu extiterint, tamen quod *præcipuum* eſt, non præſtiterunt: ideo rerum circumſtantiæ aliquando afflictum medicum neceſſitant, ut de hoc conſilio cogitet, man wolle eine Zeitlang mit Artzeneyen ausſetzen, man müſſe die Kranckheit abtoben laſſen und deſto mehr Gedult brauchen, inde etiam evenit, ut poſt aliquam temporis moram prægreſſi ſpasmi, vel a ſua *acerbitate* remittant, vel *plenarie* deſinant: cujus obſervationis varia *teſtimonia*, ſi propoſitum noſtrum concederet, proferre poſſemus: Conſideratu porro dignus eſt affectus *Hypochondriacus*, qui in variis ſubjectis valde *inſtabilis* eſt, quive aliquando remediorum uſum *expectat* & *deſiderat*, imo viciſſim *reſpuit* & adverſatur: aliquando in illo oblata remedia *proficua* ſentiuntur, poſt moram temporis aut *nihil* amplius *utilitatis* conciliant, aut *contrarie* operantur, ut ægri & medici pertæſi inducias tales inire debeant: quid quod non raro contingit, ut valde *ſollicita* remediorum ordinatio, ni ſtatus morbi *eo* devenire

debeat,

debeat, quo in *deteriorem* gradum degeneret, poſtulat talem *abſtinentiam* ab *ulteriori* vel eorum, vel aliorum continuatione, quam poſtea *remiſſior* ejusdem affectus gradus & ſtatus excipit: immo idem affectus *ſingulare* ſpecimen eſt, in quo hæ induciæ medicæ, *principem* ferme & *frequentem* uſum & *utilitatem* inveniunt obtinentque. Huic claſſi, ſingulari *prærogativa*, annumerari meretur *Purpura*, præc. *chronica*, quæ quidem *opportuno* tempore *congrua* remedia admittit, ſed perinde crebrum, *continuum* & largum illorum uſum *ægre* perfert, ita ut per *aliud* temporis intervallum denuo ab iisdem *aliquandiu deſiſtere* conveniat, quoniam *multis* remediis *rebelle* hoc malum magis offenditur; Dirus *Scorbutus* poſtulat ſuas *moras*, ne *nimis* frequenti & continuo remediorum uſu *ventriculus* magis enervetur & reliqua *virium*, *motuum* & *functionum* œconomia *perturbetur*, quin rectius *naturalibus* viribus *ſpatium* concedatur, quo, ſicut in hoc, ita in aliis affectibus *libere* & ſine vinculo, *ſtimulo* & nexu *medicamentoſo* operari queant. Affligunt interdum *ſpeciales inquinationes* humorum maſſam, quæ nec *ſemper*, nec *tota* ſua copia in *peripheriam* corporis transferuntur, ſiquidem *ſponte certis* temporis terminis vel *puſtulis*, vel *maculis*, vel *prurigine*, vel *cuticulæ* ſeceſſione, vel *ulcuſculis*, vel *apoſtematibus*, vel particulari *ſudatione* &c. aliqua quantitate excernantur, *remanente* tamen ſeminio, quod *continua* medicamentorum oblatione nec tractari, nec emendari, nec evacuari poteſt, ideo *patienter* & ſub temporaria ſepoſitione medicamentorum obſervato modo *bono regimine*, dirigi debet: Auget numerum talium affectuum, quando *pulmones*, aut *hepar* aut *lienem* quidam occupavit *infarctus*;

 qui

qui quando poſt *idoneorum* remediorum uſum pertinaciam ſuam probavit, *non vi* & *rigore* profligari debet, ſed *iteratas* tales inducias indicat, ut *leni* modo *ſucceſſive*, ſub *virium* & *ordinis* naturalis *modica* conſervatione, hanc contumaciam & *refractariam* qualitatem ſuperemus: Idem etiam ſentiendum eſt, de morbis *occultis*, quorum cauſa æque interdum abſcondita eſt, ut propterea per intervalla peritus medicus illos ſcrutari, ſciſcitari & indagare diſcat, *ubi*, *qualem* & *quomodo* hoſtem proſequi debeat: Sufficiat vero haſce morborum ſpecies velut *Specimina* & ſchemata allegaſſe, in quibus induciæ *medicæ* admitti poſſunt, quamvis adhuc varia alia addi poſſent, quæ vero attentis mentibus & in *praxi judicioſa* enutritis aut verſantibus ingeniis facile innoteſcent.

§. IX.

Excipit porro in præſenti obſervatione conſideratio, qua *Methodo*, *prudentia*, *directione*, quo *ordine* atque proceſſu tales *induciæ* ineundæ veniant, ne eædem frivole, audacter, incurioſe & negligenter admittantur, ſed ut ſub *judicioſa* illorum ordinatione & erectione *ſalutaris* morbi eventus promitti & expectari queat: quando enim concertantes partes de induciis, paciſci cogitant, exceptis quinquennalibus, *bene* ſibi utræque *proſpiciunt*, ne ulli illarum eædem *præjudicioſæ* evadant, & tali *prudentia* inſtructum in hoc negotio ſe medicus gerere debet; *negligentia* enim, quæ cum *pharmaciſtitis* committitur, velut *craſſus* error, per ſe improbandus eſt, præterea autem *non alia* ſeligantur *Subjecta*, quam quorum qualitates §. 5. annotatæ proſtant, quibus induciæ tales applicentur; *certus* enim eſſe debet peritus artifex medicus, quod re-

medio-

mediorum intermiſſio *cauſæ* morbificæ *non moram* largiatur, qua *perniciem* ſuam magis prodere, aut in *gravitate* & noxia qualitate magis augeſcere queat, ſed quoad hæc cauſa per præmiſſa remedia ex parte *alterata* & in *meliores* conditiones converſa, partim etiam aliqua *quantitate* evacuata, non minus alio modo *præparata*, quoad *noxiam* ſuam qualitatem quadantenus *infracta*, ut & ad *faciliorem* proxime ſubeundam *excretionem* mobilis & idonea reddita fuerit, proinde etiam quod *temporaria* ceſſatio ab uſu medicamentorum *viribus*, *operibus* & activitate *naturæ* ſalutifera ſuppleatur, ne *continua* & *larga* eorum ordinatione illæ *naturales* vires magis *enerventur*, relaxentur, emolliantur & in *torporem* conjiciantur, man ſeye des Artzeneyens gewohnt worden, und wolle dahero nichtes mehr anſchlagen, ſondern werde ſtets ſchlimmer darnach: deinde neceſſe eſt, ne in aliquo morbo ominoſæ *antipraxes*, aut *pernicioſæ* medicationes præceſſerint, quæ mox in *primis initiis* eundem *perverterunt*, ut variæ *præjudicioſæ* mutationes, tam quoad *cauſam* morbi, quam quoad *vires* ægri & *motus* reliquos, *vitali* œconomiæ proſpicientes, quod facile fieri poteſt, ſi hiſce morborum *initiis* temerario & inconſulto auſu *fortia* evacuantia ordinantur, quæ multam *offenſionem ægris* conciliant, inde oriantur, hinc magis neceſſe eſt, ut alicui affectui aliquandiu *congrua* medicamina oppoſita fuerint, quæ *ſalubrem* etiam effectum præſtiterant, deinde ut præc. *ordinariæ* evacuationes in aliquo *ſucceſſu* conſerventur, & a ſuſpecta *ſuppreſſione* & valde ominoſa *ataxia* præſerventur: præterea ut functiones *ſecretoriæ* quadantenus continuent; ut hactenus *juſtus ordo* cum remediorum ordinatione & ingeſtione ſervatus ſit, ut *vi-*

vires ægri adhuc *præſentes* & in functionibus ſe & excretoriis aliquatenus *negotioſæ* deprehendantur, de quo phænomeno ex *ingenua* obſervatione confiteri ſolent, ſie hätten eine gute geſunde Natur, die ſich ſelbſt helffen könne und wolle: porro neceſſe eſt *judicioſe* tales inducias ordinare, antequam *vires* naturales *nimia* medicamentorum ingeſtione enervatæ & depravatæ fuerint, man habe mit vielen Artzeneyen ſeine gute Natur geſchwächet und verderbet, daß nichtes mehr helffen und anſchlagen kan, ut propterea & *ægri* & medici teneantur & cogantur ab ulteriori remediorum uſu deſiſtere; hinc magis neceſſe eſt, talem temporis *opportunitatem* ſeligere, quo *vires* ægri adhuc *comparate* vegetæ ſunt, ut ſub indulto medico *moratorio*, quod antea *medicamenta* in *meliorem* ſtatum convertere ceperant, nunc *motus* vitales *ſponte* & adæquate *proſequi* continuent, intereaque eædem *vires* quadantenus ſe *colligant* priſtinoque *ſanitatis ordini* ſe approximent: inſuper hoc armiſtitium medicum poſtulat curatiorem continuationem *boni* & congrui *regiminis*, quod nec *rigoroſum*, nec *laxum* eſſe debet, quale ſubinde nihil *artificioſi* & *coacti* complectitur; quare ſub ejusmodi inſtituta remediorum ſepoſitione, conveniens tale regimen tantum juvaminis ſuggerere debet, quo interni *ſpontanei* motus facilius atque certius *ſalutarem* effectum obtinere queant.

§. X.

Ulterius periti & judicioſi Medici *officium* eſt, quo proſpiciat, quænam adhuc *ante* induciarum talium medicarum conceſſionem & obſervatiouem *præparatorio* ſcopo artificioſa methodo agenda veniant, ubi interdum

pro

pro morborum & circumſtantiarum ratione lenis *laxatio*, aut *excerniculorum* lenitio, *primarum* regionum emollitio, *virium* modica roboratio, ut aliquandiu *perdurare* & *libere* operari queant, *ventriculi* temperata confortatio, *tonici* remedii oblatio, *peripheriæ* corporis conveniens apertura, per *lenes frictiones*, (quæ cœteroquin in foro medico *multam* habent utilitatem, præc. quando *adverſa* valetudo crebram *ſedentariam* vitam & immobile vitæ genus *contra* conſuetudinem neceſſitat) interna diluentia, lenientia, infuſa calida, congrua *diaphoretica*, temperata reſolventia, *æquabilem* humorum diſtributionem conciliantia, alioquin obſtacula removentia, quæ vel quoad *humores* vel *vias* & *organa*, vel *motus* &c. impedimento eſſe ſolent, adhibenda & præmittenda ſunt. Quando autem hactenus uſurpata remedia nunc *aliquandiu* removentur & *intermittuntur*, tunc iterum circumſtantiæ diſſuadent, ne indiſcretim in omnibus caſibus, *ſimul* & *ſemel* remedia omittantur, ſed in morbis *chronicis* intra paucos dies ſubtrahantur, & ſic dein ad tempus plane ſeponantur, quamvis in affectibus *citioris* decurſus hoc pharmaciſtitium ita inſtrui & dirigi debeat, prout eidem convenit: Et quando in tota hac deductione præc. ſermo eſt de remediis *pharmaceuticis*, quæ magis artificioſa ſunt, ita etiam præſentibus obſervationibus & *requiſitis* quadrat, ſi in morbis *brevioris* ambitus aut periodi medicamentorum ſubtractio *fructuoſa* eſſe agnoſcitur, interea ſub hiſce induciis *illa* media, quæ *naturæ* magis conformia atque grata ſunt, inſuperque vices *alimenti* & *medicamenti* gerunt & ex fonte *diætetico* promanant, aut quæ regulis boni & *congrui regiminis* reſpondent, ſubſtituenda ſunt, quæ ita ſenſui & uſui

uſui naturæ accommodata ſunt, ut ſponte ſalutares proſecutiones effectuum, ſanitatis reparationi quadrantium, excipiant & conſequantur: Interea temporis quo medicamenta *non* continuantur, nulla *præjudicia* in regimine admitti debent, v. g. ne *potus* incongruus, *quantitate* & *qualitate* inconveniens, ne alia infenſa ingeſta, neve nimis *laxum* regimen videlicet *aëris* injuriæ, *frigus* inimicum, *intemperies* ſuſpecta, nimius *æſtus*, ne ominoſi *affectus animi*, ne alia intercurrens *impatientia* & immorigera qualitas, ne varie mutatum regimen &c. adhibeantur & concedantur, quæ facile *ſpem* impetrandæ *utilitatis* ex inſtitutis induciis eludunt & annihilant: ratione temporis de induciis interdum partes ad *certum terminum* paciſcuntur, interdum mox in plenam pacem tranſeunt: *utrumque* etiam in foro *medico* contingit, quando *gravitas* & *longior* duratio morbi *temporariam* tantum abſtinentiam a medicamentis concedit, ſub qua *vires* ægri aliquatenus in ordinem, temperiem & vigorem revertuntur, quando *motibus* vitalibus pauca conciliatur mora, ſub qua *libere* & non *coacte* & ſub *adverſo* interdum *ſtimulo* progrediuntur, quando *humores* & *partes* non continuo *impulſu* & irritamento urgentur, quando *cauſa* morbifica poſt præviam congruam *præparationem* aliquandiu directorio motuum vitalium relinquitur, & quando nonnullorum individuorum *vigor* naturalis ita *præſtans*, *conſtans* & præſens eſt, ut *ſponte periculoſis* alterationibus & caſibus ſubveniat & ſatisfaciat &c. aliquando vero induciæ illæ abſolutæ ſunt, quas poſt brevem moram *pacificus* & ſanus vitæ naturalis ſtatus excipit, inde eloquuntur: Man habe wenig Artzeneyen gebraucht, und nicht einmahl durch die gantze Kranckheit,

heit, und ſeye doch davon kommen und geſund worden: quid quod innoteſcunt nonnunquam caſus, in quibus ordinata & adhibita medicamenta deſideratum effectum *non ſufficienter* præſtiterunt, quorum omiſſionem tamen ſucceſſive ejusdem morbi emendatio, mitigatio & plenaria abolitio tandem excepit, unde natæ confeſſiones, man habe zwar Artzeney-Mittel gebraucht, ſie hätten aber das Ubel nicht gäntzlich gehoben, nachdem man aber den Medicum und die Artzeneyen abgeſchaſſet, habe ſich die Kranckheit von ſelbſt gebeſſert und verlohren: quales caſus in *internis* & *externis* morbis, in clinicis & *Chirurgicis* nonnunquam occurrunt: proinde autem in variis affectibus hæ induciæ *non nimis* longe in *præjudicium* morbi ſunt extendendæ, nec etiam poſt illarum circuitum & ambitum non ſimul & ſemel, nec nimis rigoroſe & impetuoſe remediorum uſus innovari, continuari & urgeri debet: illud vero memori mente tenere debemus, ne in hoc negotio nimis confidentes neve plane *negligentes* ſimus, ſed cogitemus, quod ſupra allegavimus, *hoſtibus mores hoſtiles mentemque infidam ineſſe;* huc enim valet, *fide, ſed cui, vide*: interdum enim pars adverſa, quando aliquam infirmitatem, aut minus proſperos ſucceſſus ſuſpicatur & ſentit, ſimulat pacem, amicitiam & quietem, donec paululum reſpiravit, novasque vires nacta eſt, ut detracta dein larva mentem ſuam rapacem & crudelem denuo manifeſtet: hinc prudens medicus ſub induciis non otioſus, ſecurus, confidens, credulus & negligens ſit, quin potius ſciat, ſæpe in herba latitare anguem, ideo ſub induciis medicus judicioſus, prudens, vigilans & nihilominus officioſus ſit, donec *certa* ſigna indubitatæ conſequentis ſanitatis appareant & emineant.

§. XI.

Quando itaque induciæ medicæ rite & perite obſervantur, *multiplices* inde promittendæ & expectandæ ſunt *utilitates*, quarum adhuc mentio præſenti tractatione injicienda erit: Cavendum autem eſt, ne *fraudulentæ* inſtituantur induciæ, neve *ſinceræ* aliis *clandeſtinis* perverſis & præjudicioſis auſibus & experimentis *ſalutari* ſuo ſucceſſu & effectu deſtituantur: ne *Thracium commentum* ad haſce inducias applicari mereatur, quod proverbium adverſus eos directum eſt, qui pacta callido eludunt commento; ita TIRAQUELLUS *de retractu gentilitio Opp. Tom. III. p. 125. n. 9.* dicit: *ex his facile apparet non immerito fuiſſe accuſatos ab Ephoro Cumæo, Tullio Lib. I. offic. Strabone Lib. 9. Geogr. & Zenodoto in Adagiis collectaneis, Thraces illos, qui pactis cum hoſtibus aliquot dierum induciis, nihiloſecius noctu depopulabantur agros hoſtium, quod cum quærerentur adverſarii, tanquam inducias illi violaſſent, reſponderunt, nihil præter pacta feciſſe, dies enim pepegiſſe, noctu autem tantum incurſaſſe, nam cum de diebus ſimpliciter pactum eſſet, nec de noctibus quicquam actum fuiſſet, intelligendum erat de diebus, qui & noctes comprehendunt;* Similiter prudentes medici curam habere & ſollicite ſibi proſpicere debent, ne tantum *diurnas* paciſcantur inducias, neve noctu alii *clandeſtinis domeſticis* remediis in ejusmodi ægros graſſentur & invadant, ideoque ſalubrem & *utilem* reſpectum invertant, corrumpant & intercipiant: Quod autem *utilitatem* attinet, quæ a *convenientibus* induciis ſperandæ, tunc *viribus* præc. ſubveniunt, ne illæ *continuo* medicaminum uſu obruantur, relaxentur, ſeducantur & enerventur, juxta commune dicterium, viel

Artze=

Artzeneyen ſchwächen den Leib, ſiquidem talium medicamentorum operatio easdem vires magis *urget*, excitat, ad varios motuum *gradus* & diverſas effectuum *ſpecies* allicit; quo itaque vires *naturales*, *individuales*, conſuetæ & liberæ ſibi aliquandiu relinquantur, iterumque *ſponte* officia neceſſaria proſequantur, conſultum omnino eſt, per aliquam moram *artem* omittere, & *liberam* magis atque placidam convaleſcendi methodum invitare & concedere; quod ſi enim *nimis officioſa* arte ſanitas adjuvetur, haud ita *firma* atque ſtabilis illa ſperanda eſt, ſicut in *univerſa hodegia*, qua homines ad ſcientias & artes addiſcendas manuducuntur, id evenire ſolet, ut continua inſtitutio & occupatio alterius laboris, wann man einem alles vorarbeitet, nullos proſperos ſucceſſus promittat: hinc medicamenta non continuo *prælaborare* aut præſtruere debent uſu, quod *vires* etiam multorum ægrorum perficere poſſunt; dein tales induciæ *ordinem* denuo *naturalem* revocare & *invitare* ſolent, quamdiu enim *artificioſa* methodus & ſimilia medicamenta ordinantur & uſurpantur, tamdiu motus *vitales* & *connexæ* functiones ordinem conſuetum & *perſonalem* valde transgrediuntur, ita ut hic ſtatus, quo ægri ſub manibus *medicorum* & poteſtate *medicamentorum* verſantur, magis coactus & afflictus ſit, hinc *temporaria* abſtinentia a remediorum continuatione, anſam miniſtrat, quo *vegetæ* & agiles alicujus ſubjecti *vires*, non modo morbi alicujus *reliquias ſponte* ſuperare & *ſubjugare*, ſed & *priſtinum ſalubrem* ordinem vitæ & ſanitatis reſtituere queant, de quo ſtatu eloquuntur, die Natur richte ſich wieder in ihre gewöhnliche Ordnung: Præterea eædem induciæ non raro eximium illum uſum promittunt, ut quidam morbi *mitius*,

ſed

ſed alius, proinde etiam *melius*, *firmius*, *ordinatius* & magis e *fundamento* curentur, ideoque ſanitas *durabilis*, æqualis, firma & facilis conſequatur: quemadmodum *non raro* in obſervatione medica inclareſcit, ægros *robuſtæ* & ſalutiferæ naturæ ſine medicamentis melius reſaneſcere, quam poſt *ſollicitum* & operoſum variorum *remediorum* uſum, quod uberius demonſtravit PRÆSES *diſp. de ſpontaneæ ſanationis obſervationis neceſſitate & utilitate;* Quodſi enim hoc negotium, reparandæ ſanitatis naturalis, nunc ſub aliquo *levamine*, nunc *ſponte* iterum decurrentibus motibus in *extraordinariis* etiam caſibus vitæ & ſanitati invigilantibus, perficiatur, nec nimium *vires*, nec partes *motrices*, nec *colatoria* adigantur & urgeantur, tunc meliori & comparate tranquilliori ſucceſſu totum negotium decurrit. Tandem ſub hiſce induciis *ægrum* corpus medicamentis non valde *oppletur*, quæ alioquin in eodem corpore *diu ſubſiſtere* non debent, ſed proxime iterum per *ordinaria* excernicula removenda ſunt; quæ ſi ad aliqualem congruum *ſalutarem* effectum contribuerunt, in *humoribus* & *viis*, cujuscunque fuerint *eſſentiæ* & conſiſtentiæ diutius commorari minus debent, quibus propterea nullæ concedendæ ſunt induciæ, hinc ſub hoc *intervallo*, quod *antea* ex armamentorio medico ingeſtum fuerat, *melius denuo* evacuari poteſt, ne tanta medicamentorum farrago oneri magis atque præjudicio, quam muneri & emolumento ſit: multum enim juvat non liberaliter & largiter medicamentorum uſui indulgere. Pauca hæc nunc quoad hujus thematis explicationem ſufficiant: Largiatur ad vota noſtra divina bonitas, ut non modo medica ars pacificam ſemper atque ſalubrem habeat efficaciam, ſed & hæ meditationes naturalem tranquillitatem promoveant, quid quod pietas veritasque inter ſe occurrant, juſtitia & pax ſe invicem oſculentur: nec non ut inter medicos gladii ſcindentes diſſenſionum & diſſidiorum in vomeres æquitatis, & æquanimitatis convertantur, bellum medicorum deleatur, & ita deo & hominibus gratiſſimæ maximeque ſtabiles erigantur in quocunque foro induciæ, quippe qui ingenuus noſtri voti erit FINIS.